DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHABARBARO.

Kennedy (H. A.)

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

RHABARBARO:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu,*

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HUGO-ALEXANDER KENNEDY, HIBERNUS.

Ad diem 11 Junii, horâ locoque solitis.

——*quo non praesentius ullum*——
Auxilium venit, ac membris agit atra venena. VIRG.
A simplicium cognitione ortum medicina duxit. P. CASTEL.

ROYAL COLLEGE OF SURGEON BENTLEY LIBRARY

EDINBURGI:
Cum TYPIS ACADEMICIS.
M,DCC,LIV.

CLARISSIMO AMPLISSIMOQUE VIRO,

GULIELMO GORE,

DE WOODFORT;

IN CONVENTU PUBLICO INFERIORI,

APUD HIBERNOS,

INGENII ACUMINE, MORUM INTEGRITATE,

IN AMICOS COMITATE,

OMNES ERGA BENEVOLENTIA,

ET IN PATRIAM AMORE,

MAXIME CONSPICUO:

S.

VIRTUTES tuas, Clariſſime Vir, animique dotes egregias, induſtria ſumma excultas, ut apud auctores hodie nimium mos eſt, praedicare hic minime conabimur. Conſiderandum eſt enim quid aures pati poſſunt, et quid virtutibus debeatur. Haec nos cura, haec difficultas ſola circumſtat. Non quidem veremur ne grati videamur aut ingrati, prout ſatis aut parum dixerimus. Sed, quod huic muneri impares admodum ſumus, ſilentium nobis haudquaque gratum imponemus.

Ut vero has ſtudiorum qualeſcunque primitias, animi noſtri grati teſſeram, benignus accipias, optamus et ex animo precamur tibi, Vir Clariſſime, ſumma qua par eſt obſervantia devinctiſſimi.

REVERENDO VIRO

THOMÆ BENSON,

ECCLESIAE ANGLICANAE PASTORI;

FIDELITATE,

DOCTRINAE VITAEQUE SIMPLICITATE,

OMNIBUSQUE, QUAE CHRISTIANUM ORNANT,

VIRTUTIBUS ACCUMULATO:

NEC NON

D. D. ALEX. CLEGHORN,

IN ACADEMIA S. S. TRINITATIS

APUD DUBLINUM,

ANATOMIAE PROFESSORI CELEBERRIMO;

INGENIO, DOCTRINA, MORIBUS,

ATQUE ARTIS CHIRURGICAE PERITIA

INSIGNI,

AEQUE AC PROPTER EAM, QUA NOS SEMPER

COMPLEXUS EST, BENEVOLENTIAM:

NEC NON

NEC NON

AMICIS MEIS CONJUNCTISSIMIS,

LAUCHLANDO McLEAN,

CLEMENTI ARCHER,

GULIELMO BAGOT,

S. S. TRINITATIS COLLEGII A. B.

GULIELMO GREEN, T. C. C.

JOHANNI McDONNEL, M. C.

OPTIMAEQUE SPEI JUNIORIBUS,

NOBISQUE, PROPTER VETEREM

JAM, ET SINCERAM SEMPER AMICITIAM,

CHARISSIMIS:

HOC TENTAMEN INAUGURALE,

GRATI ANIMI INDICIUM,

D. D. D.

HUGO-ALEXANDER KENNEDY.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
RHABARBARO.

INTER tot tantaque auxilia, quibus aegris ſanitatem perhibet medicina, vix ullum, ex omnibus medicamentis ſimplicibus, medicis tam magni momenti reperiri poteſt, nec cujus natura et vires majori indaginis cura inveſtigari debent, quam Rhabarbarum, quod, ſimplicium fere omnium exoticorum, eſt praeſtantiſſimum; humorum vitioſorum ſaburrae expurgandae, variiſque morbis curandis accommodatiſſimum, et cujuſcunque generis hominibus notiſſimum. De eo pauca idcirco conſcribere animum induxi; non vero ex ſcripturiendi pruritu, ſed ut almae hujus Academiae legibus obſequar.

MIRUM

MIRUM hoc mihi videtur, quod in tanta auctorum copia, nullus tamen inveniatur, qui accurate aliquid, de hoc ſimplici medicamento, tam in morbis debellandis quam aegris recuperandis, conſcripſit. Botanici vero, de Rhabarbaro pauca dixerunt, nec illud ut medicamentum tanta laude dignum, ut apud nos hodie aeſtimatur, pertractarunt. Ego itaque, quoniam auctorum de hoc indagatio parum auxilii praebet, faciliorem veniam ſpero, ſi, in hac Rhabarbari hiſtoria excolenda, in leviores quoſdam errores inciderim.

CUM varia auctorum argumenta circa Rhabarbari nomen et locum natalem enumerare, longius temporis ſpatium conſumeret, quam hujus tentaminis limites permittunt; non abs re erit illa ſilentio praeterire, et nomen ejus locumque nativitatis inter botanicos hodiernos, ut vulgo recepta, praefari.

PLANTAE, ut omnibus earum inveſtigatoribus notum eſt, ad ſanitatem hominis adhuc integram conſervandam, vel morbis labefactatam reſtaurandam, a Deo ſummo procreatae, pro diverſitate circumſtantiarum,

rum, varia acceperunt nomina: quaedam ab inventoribus nomina obtinuerunt, nonnullae vero a virtutibus et qualitatibus quibus prae reliquis excellunt: quibuſdam vero locus natalis nomen largitur. Sic *Rhabarbarum* dicitur, quia in Barbaria proprie dicta naſci exiſtimabant, propter quantitatem magnam, ex ea olim ad alias regiones deportatam.

RHABARBARUM autem, nobiliſſima et praeſtantiſſima illa radix medicamentoſa, in Sinarum naſcitur regione, in provinciis *Succiven* et *Xenſi*: *Marcus Paulus Venetus*, optimum naſci, ait, et uberius non longe ab ejus regionis metropoli, quae *Succuir*, quemadmodum tota plaga, appellatur, quibuſdam in montibus ubi plurimi ſcaturiunt fontes, et ſylvae diverſarum arborum generibus refertae. Terra in qua gignitur rubra eſt lutoſaque, tam propter pluvias multas, quam fontium rivulos, qui locum irrigant et madefaciunt.

A Chinenſibus *Ravam* appellatur, ab Arabibus *Riuvand*, communiter efferri ſolet *Rhaved* ceu *Raved*. Germani vero Rhabarber, Galli *Rhubarbe*, Itali *Rhabarbaro* nuncupant.

nuncupant. Dicitur etiam Indicum *Rhabarbarum*, vel Sinicum, Turcicum, Barbaricum, Moſcoviticum et Ruſſicum: Indicum porro ab India eſſe dictum, unde frequentiſſimum provenit, nemo eſt qui dubitat. Caetera omnia a regionibus, a quibus convehuntur, cognominata: Barbaricum, quia quoddam eſt Indiae emporium, unde rheum quoque poteſt *Barbaricum* vocari: cur autem id quod ex India advehitur *Barbaricum* dicatur, facile patebit: quod ſcil. cum, olim fortaſſe major ipſius quantitas ex Barbaria adveheretur, et ob id longe magis Barbarici nominis, quam Sinici ceu Indici apud omnes invaluerit uſus; nil mirum videri poteſt, ſi hac quoque tempeſtate ex aliis regionibus allatum perpetuo *Barbaricum* dicatur. Cur autem Turcicum, Moſcoviticum et Ruſſicum? Hac de cauſa ſcil. multae merces, non ſolum a locis in quibus naſcuntur, ſed et ab emporiis, nomen acceperunt e quibus deferuntur. Magna etenim Rhabarbari quantitas ex Ruſſia et Moſcovia ad nos deportatur, ſed ibi illud naſci pro certo non habemus: veroſimillimum

eſt

eſt Moſcovitas illud, vel e Tartaria vel China ad nos tranſvehere.

PROREGIS Hiſpani medicus *Garcias* ſcribit, * nullum ex tota India provenire Rhabarbarum, ſed omne quod in Indiam, Perſiam et Europam importatur eſſe in Chinarum natum regione, et ex hac per Tartariam, Ormuzium, Alepum, terra commodius vehi; quoniam, ſi mari tranſveheretur, eſſet putrefactioni obnoxia, unde reliqua Europae regna petit.

CHRISTOPHORUS A COSTA ab interiori Sinarum regione duntaxat illud quoque provenire, exinde in urbem Canton, emporium celebre, et poſt navibus in Indiam advehi refert †.

ANTERIORIBUS Graecis, Theophraſto, Dioſcoridi, Galeno, et aliis, ignotum fuit Rhabarbarum; nulla enim in omnibus illorum operibus ejus mentio eſt: non ergo exiſtimandum eſt, Rhabarbarum noſtrum per appellationem ῥᾶ vel ῥεον intellexiſſe, ſed Rhaponticum, quod diverſis plane pollet virtutibus. Quid enim ſit Rhaponticum, et qualis

* Arom. lib. i cap. 37.

† Ibid. lib. i cap 28.

lis planta, optime oſtendit *Proſper Alpinus* *, in eleganti illo tractatu a ſeipſo edito, ubi plane demonſtrat, plantam hanc ex Thraciae monte Rhodope in Italiam allatam eſſe. Quapropter naturam et vires ejus ſpeciatim inveſtigare hic non conabimur; Rhabarbarum autem verum non eſſe demonſtrabimus.

Ruellius, et *Aloyſius Angullaro*, multique alii mordicus tenuerunt Rhabarbarum vulgo vocatum et *Rhaponticum* antiquorum unum idemque eſſe medicamentum, et inter ſe differre tantum odore et regionibus in quibus naſcuntur; tamen praeter haec facile probari poteſt, aliis quoque virtutibus differre haec duo.

Rhabarbarum noſtrum, purgandi poteſtatem habere ventremque ſolvendi, nemo eſt qui neſcit: odor autem nares admodum feriens, aureus color, ariditas, amaritudo quae guſtu percipitur, compacta ſimul ſubſtantia, et ponderis gravitas, color exteriùs ſubniger ac rufeſcens, intùs vero ex rufo flaveſcens, et ad nucis Moſchatae colorem internum accedens, ſunt notae praecipue Rhabarbari veri. Quandoquidem Rhaponticum

* Pag. 15.

Rhaponticum * exiguo commendatur odore, minime dejectionem molitur, ſed potius adſtringit, non eſt amarum, ſed ſubacre, non aridum, ſed lentum, non compactum, ſed rarum, non ponderoſum, ſed admodum leve, non colore ſimili Rhabarbaro. Quibus rationibus fretus, et plurimis aliis, quas nunc praeſcribere longum eſſet, non temere aſſerere quilibet poteſt *Ruellium* et *Aloyſium* hac in re magnopere hallucinatos fuiſſe. Vanum certe argumentari videtur Rhabarbarum et Rhaponticum unam et eandem eſſe radicem, quod forma, colore ac ſpecie, nihil inter ſe diſtare oculorum perceptui appareant, cum, tam in facultatibus quam qualitatibus, maxime inter ſe differant.

ALTERUM argumentum adducam, quo Rhabarbarum a Rhapontico maxime diſtare probem. *Mirepſicus* † ille Alexandrinus, qui tam diligenter ſcripſit de componendorum medicamentorum ratione, ubi catapotia quaedam componit ad ventriculi, renum et lienis affectus, Rhabarbarum et Rhaponticum admiſcet tanquam diverſa medicamenta:

* Prof. Alp. tract. de Rhap. p. 15.

† Cap. 110.

dicamenta: etenim cum fruſtra (ut ait *Ariſtoteles*) fiat per plura, quod fieri poteſt per pauciora; cur ille haec duo medicamenta admiſceret, niſi magnopere virium facultate inter ſe diſcrepare agnoviſſet?

NEQUE cum Rhabarbaro noſtro conſentit Eſula, quae ruſticorum Rhabarbarum appellatur: noſtrum enim blandum et mite pharmacum eſt, et tam hominibus quam infantibus tenerioris et mollioris conſtitutionis exhiberi poteſt, ſine noxa aliqua; contra, vehementer purgat Eſula, idcirco ruſticis melius inſervit. Neque etiam pſeudo-Rhabarbarum illud Monachorum ceu Hippolapathum Dioſcoridis cum hoc noſtro debet confundi, nam huic genuini Rhabarbari vires non ſunt *. Purgat quidem haecce radix, ſi ad duplum Rhabarbari exhibeatur.

ERGO manifeſtum eſt Rhabarbarum, quo hodie utimur, a veterum Rhapontico differre, tam qualitatibus externis quam internis, neque anterioribus Graecis illud notum fuiſſe. Sunt autem quibus nullo modo perſuaderi

* In tractatu Alpini de Rhap. pag. 23.

perſuaderi poteſt, quique, etiamſi rem clariſſima luce eis opponas, oculos occludunt, veritatem videre nolentes. Sunt itaque caeci, ſuaque ignorantia fruuntor, erroris in tenebris incerti ſemper vagantes; hos enim intactos praetermittemus, perinde ac caeteros ſui ſimiles, qui tantum ſuis opinionibus addicti, in pertinaciae fimo jacere malunt, quam veritatis agnoſcere lucem.

Posteriores Graeci, *Myrepſus*, *Actuarius*, &c. Rhabarbarum verum agnoverunt, ῥεον Ινδικον quidem illud vocaverunt; praeterea, *Actuarius* Rhabarbari mentionem facit, quando mitiora purgantium genera deſcribit: iis temporibus, ſine dubio, hac via ad Alexandriam allatum eſt; atque ita his medicis Graecis innotuit.

Clarus *Freind*, in medicinae hiſtoria, putat *Alexandrum* anno Dom. 560, Rhabarbarum primo memoraſſe, ubi agit de debilitate jecoris, dyſenteria, &c. tamen ejus facultatem purgatricem nullatenus cognoviſſe videtur: hoc enim inter adſtringentia tantum ponit; uti Rhaponticum, caeteri Graeci.

* Hiſt. Medicinae, p. 69.

Rhabarbari usum, ab Arabibus prius indicatum, putat *Clericus*, in historia sua medicinae; quod tamen non verisimile videtur *. *Absuali-lon Tzina* enim, Arabs, sub nomine Rhabarbari de Rhapontico loqui videtur; neque plane scripsit suum Rhabarbarum facultate purgatrice pollere: eadem quoque descriptio ab altero Arabe, nomine *Rhazes*, prodita est: ergo ab Arabibus facultas Rhabarbari purgatrix non demonstratur.

† *Paulus Ægineta*, ex anterioribus Graecis ultimus, Rhabarbarum describit, in enumerandis medicamentis quae sanis alvum subducere possunt, in compositione ἡ διακοραλλιϰ ποδαγρικὴ inscripta, primum ingrediens, ponit ῥεου Βαρβαρικον. Hujus etiam facultatis in Rheo prius mentionem feciſſe videtur, cum narrat hujus additione laxantia quaedam validiora fieri posse.

Cum Rhabarbarum nunc verum, non solum ratione sui, sed et respectu aliarum radicum, pro quibus olim, vel propter similitudinem quandam in forma externa, vel etiam propter

* Lib. 2. tract. 2. in cap. de Rhab.

† Cap. 43. lib. 1.

pter qualitates ſimiles, habitum eſt, differre dixerim; formam ejus, qua ab aliis diſtinguitur, nunc executurus ſum. Illud autem hic conſiderandum venit, ut planta ſit integra cum radice ſua.

Radix ſeu caulis, quem terra recondit, eſt longus, una, duabus, vel tribus palmis; color exterius ex nigro rufeſcens, interius vero ex rubro flaveſcens; fungoſus, ſed tamen gravis; ſapor, cum levi adſtrictione amaricans, non valde ingratus; liquoremque cui infunditur croceo colore tingens: facillime ſcalpello, ſi illud prius per aliquod unctuoſum trajicis, perſeces. Saepe craſſitie manum brachium adaequat, alias quoque radices circum circa projicit, quibus reſectis, Rhabarbarum diviſum in fruſta, carnem interdiu flavi coloris rubeis refertam venis oſtendit, ex quo ſuccus flavus et rubeus aliquantulum diſtillat viſcoſus: corticis ejus color ſubobſcurus eſt etiam*. Quando radicis corticem e medio tollis, ſubſtantia interna tunc ficci Rhabarbari refert colorem.

Folia

* Hill's Mat. Med. p. 547.

Folia, pro ratione plantae, magis vel minus, duabus palmis longa; inferne anguſta, ſuperne ampla, et deorſum ſpectantia: viridia ſunt, et lanugine piloſa undequaque obducta, dum adoleſcunt: conſeneſcentia flaveſcunt et lutea fiunt, et in terram concidunt: truncus, ſupra terram una palma cum foliis, ſupereminet: e medio foliorum cauliculus ex craſſiori caule prodit, floribus onuſtus violis magnis non abſimilibus, qui ſuccum expreſſum inſtar lactis caerulei habet, odorem acutum, et quem nares faſtidiunt redolentes.

Chinenses in illo ſiccando valde periti habentur: quando enim Rhabarbarum in fruſta dividunt, carnem interdiu flavi coloris oſtendit, ex qua ſuccus copioſe madet: non tamen ſtatim illa fruſta humida ad ſiccandum appendunt; quia ſecundum illos mox evaporaret unctuoſus ille humor, et radix leviſſima remaneret, ſicque virtutem omnem deperderet. Ideo recentis Rhabarbari fruſta in oblongis reponunt menſis, et quolibet die tribus vel quatuor vicibus ea revolvunt, ut per hanc induſtriam ſuccus incorporetur fruſtis, et conſtipatus maneat; tum

tum vero paucorum dierum ſpatio, concreto humore, tranſectis per fruſta illa funiculis, appenſa ventis exponunt, loco tamen umbroſo, ne radiis ſolaribus contingantur.

Secundum illos etiam, effodiendo Rhabarbaro hybernum tempus eſt optimum, antequam viridia folia incipiant pullulare; quod ſcil. eo tempore, circa menſis Maii initium, ſuccus et virtus unita et collecta ſit. Si vero Rhabarbari radix effodiatur aeſtate, aut illo tempore quo viridia folia producit; quoniam maturitatem debitam non attigit, flavo illo ſucco et rubeis venis caret, (quae apud nos pro ſignis optimis habentur) poroſa ac leviſſima advenit, et ad perfectionem Rhabarbari hyeme effoſſi minime accedit. Recens ac viride, amariſſimum eſt, et guſtui maxime ingratum. Sinice vocatur *Tayhuam*, quod ſignificat *ſumme flavum*.

Haec Rhabarbari deſcriptio a *Johanne Baptiſta* Ramnuſio primum prodita fuit in illa, uti inſcribit, declaratione quam *Marci Pauli Veneti* itinerario a ſe Italice edito praemiſit, ubi eandem Rhabarbari hiſtoriam cum ipſius effigie mercatori cuidam

Perſae

Perſae ingenioſo, nomine *Chaggi Memet*, in provincia *Chilan* nato, acceptam refert. Venerat circa annum 1550 mercator ille *Venetias*, magna ſecum Rhabarbari copia advecta, et *Ramnuſio* narraverat ſibi viſam fuiſſe provinciae *Tanguth* civitatem *Succuir*, in cujus ditione copioſus eſſet praeſtantiſſimi Rhabarbari proventus.

Licet Dominus *Jeoffroy*, hanc deſcriptionem minime veritati conſentaneam eſſe exiſtimet, ei tamen major fides habenda eſt, quam deſcriptioni ab illo allatae; non enim Rhabarbarum Indicum refert, ſed Pariſienſe, quod licet ibi laete vireat, ex ſolo tamen diverſo, nil mirum ſi diverſas qualitates adeptum fuerit.

Rhabarbarum optimum, genuinum et non adulteratum, ſignis ſequentibus dignoſcitur; raro exiſtit, minorem habet ſtypticitatem, in mandendo ſalivam colore croceo tingit, teredinibus haud obnoxium eſt nec corroſum. Eligendum etiam ſemper eſt illud, quod per mare iter breve fecerit; magis enim corrumpuntur omnia aromatum genera, maritimo quam terreſtri itinere importata; atque ſaepe plus hoc modo detri-

menti

menti patitur Rhabarbarum quam per adulterationem. Unde clare eluceſcit ratio, cur apud nos Rhabarbarum Moſcoviticum melius quam Indicum habeatur, quia breviorem facit navigationem.

CUM autem in officinis diu ſervetur, carioſum ac vermibus eroſum devenit; tamen ſeplaſiarii illi, qui quodammodo periti habentur *, omnia illa foraminula cum pulvere peſſimi Rhabarbari ſpeciei obturant: hoc autem verſutiae ſpecimen facile detegitur, et ſemper rejiciendum eſt.

ADULTERATUR etiam Rhabarbarum hoc modo, ut opinatur *Zacutus Luſitanus* †; incolae provinciarum ex quibus convehitur, illud in ſubſtantia aliqua infundunt, et poſt tempus commodum, facta expreſſione, extrahunt virtutem ſolutivam, et conficiunt trochiſcos, quorum uſu divites et magnates purgant, et deinceps ſola remanet in Rhabarbaro vis adſtrictoria inutilis et ad expurgandum inepta. Cognoſcitur autem adulteratio quia leve eſt, cum ſapore adſtringente, nullum intenſum, ſed remiſſum obtinens colorem:

* Hill. Mat. Med. p. 547.

† In Pharmacop. art. 3. cap. 1.

lorem: proponit etiam modum Rhabarbarum conſervandi: dicit enim Rhabarbarum ab omni teredine et carie vindicari, conſervarique poſſe annos quatuor aut quinque plane recens incorruptumque, ſi vel Milio vel Pſylii ſemine ſepeliatur. Recens facile a vetuſto diſtinguitur, illud enim ſignis praedictis praeditum eſt, hoc vero habet ſimul cum colore remiſſo, levitatem.

Ex chymica analyſi Rhabarbari, illud multo ſulphure et ſale fixo donari, cum exigua ſalis acidi, et magna terrae copia conjunctis, ſatis apparet. Ex his principiis inter ſe commiſtis, compoſitum exſurgit gummoſum, ex quo gummi et terra facile ſeparantur, nec parva copia, ſiquidem ex Rhabarbari unc. ii. aquae communis ope, extracti gummoſi unc. i. cum granis xii. elicitur. Perparum vero reſinae in hac radice deprehenditur, et quidem multo ſale alkalino dilutae; ita ut ope ſpiritus vini, ex Rhabarbari unc. ii. vix drach. iii. extracti ſalino reſinoſi obtineantur. Hocce extractum, ob ſalis copiam, aquâ communi facile diſſolvitur;

et

et eandem ob cauſam, Rhabarbari tinctura per ſpiritum vini facta, in aquam injecta, non lacteſcit, ut caeterae tincturae reſinoſae *.

NUNC, quatenus ferme Rhabarbari hiſtoriae finem impoſuimus, non abs re erit pauca de duplici ejus virtute verba facere. Prius tamen notatu digna ſententia GALENI eſt †: Σχεδὸν ἅπαντα τὰ φάρμακα, κἂν ἁπλᾶ πρὸς αἴσθησιν φαίνηται, τῇ φύσει γῆν ὑπαρχει σὺνθηλα κὴ πολλάκις γε, κὴ τὰς ἐναντιλάωτὰς ἐν αὐτοῖς ἔχει δυνάμεις, ὅιτε ἐκριτικὴν τε, κὴ σαλτικὴν, παχυντικὴν τε, κὴ λεπτυνλικὴν, ἐπλαςικὴν τε, κὴ διαῤῥυπλικὴν, σὺντακλικὴν τε, κὴ χαλαςικὴν, ἅπασας τε τας ἄλλας ἀντιθέσεις.——— Eadem etiam de Rhabarbaro vera ſunt; laxat illud et adſtringit, et ob ſubſtantiae diverſitatem ac miſtam ejus temperaturam, exacto purgandi munere, ventriculum, et caetera viſcera, univerſim firmat ac roborat. Et hoc clariſſimorum botanicorum rationibus firmis comprobatur.

SATIS jam evidenter apparet, per chymicam analyſin, Rhabarbarum in ſe continere

C

* JEOFFROY, tom. 2. p. 127.

† Lib. 3. de ſimp. medicam. facultate, cap. 114.

nere diverſas plane particulas, ſcil. ſulphureas, ſalinas, terreas, aqueas, &c. ex quibus, quaſi ex totidem fontibus, facultas ejus duplex, cum purgandi tum adſtringendi, oriri videtur: omnis ergo in Rhabarbaro purgandi virtus irritativa, a particulis hiſce ſulphureis et ſalinis ſemper combinatis pendet; hae autem cum aliis ejus particulis conjunctae, veram Rhabarbari eſſentiam et formam interiorem, quae in purgando et adſtringendo conſiſtit, abſolvunt. Ejuſmodi particulae ſalinae admodum volatiles ſunt; ſecundum quoſdam enim ſeplaſiarios, Rhabarbarum torrendo fumum emittit purgatricem, quem, qui naribus hauſerit, vix purgationem effugiat. Admodum mites tamen videntur eſſe hae particulae ſulphureo-ſalinae, cum in viſceribus irritationem nonniſi leviorem praeſtent. Hinc Rhabarbarum catharticum tutiſſimum eſt: humores potiſſimum bilioſos evacuat, ventriculum et inteſtina blanda adſtrictione roborat, obſtructiones viſcerum reſolvit; hinc in ictero, cachexia, hydrope, lienis tumore, febribus diuturnis, aliiſque plurimis morbis, aptiſſimum eſt remedium. Cum autem Rhabarbarum

barum de particulis terreis participet, indeque facultatem adſtringendi ſimul obtineat; hinc pro diverſa ratione, diverſimodè quoque tractatur: quando vim purgatricem minuere volumus, et adſtringentem augere, toſtio adhibenda eſt, qua particulae ſulphureo-ſalinae volatiles, minus fixae per ignem, in auras immediate evolant: ſi autem adſtrictoriam illius vim auctam volumus, Rhabarbarum cum aqua vel vino decoquere praeſtat; rejectâ prima decoctione, denuo coquatur, ac fortiſſime exprimatur: ſic enim reſolvitur vis ejus purgans, et facultatem adſtringentem in ſe ſuſcipit. Alii etiam, ſi Rhabarbari vim magis adſtringentem deſiderent, in auxilium arceſſunt, quod, poſt extractam Rhabarbari tincturam, cum aqua cichorii vel plantaginis factam, reſtat. Pars haec *faex* dicitur, et facultatis adſtringentis eſt; unde lienteriae, dyſenteriae, ſanguinis et humorum quibuſcunque profluviis praeſcribitur.

In Rhabarbari toſtione, hiſce duobus attendendum eſt: ſcil. 1. ne illud non ſatis torreas; quia fixior eſt illa vis a qua facultas purgatoria pendet, quam olim a plurimis

mis aeſtimabatur: 2. ne illud nimis torreas, adeo ut facultatem adſtringentem augeas; hoc enim modo non tantum purgantem, ſed etiam adſtringentem facultatem perdet, et empyreuma potius contrahet, unde per hanc preparationem ventriculum quidem non corroborat, potius autem erodit et exulcerat.

Licet variis multis Rhabarbarum adhiberi poſſit modis; inter alios tamen celebris eſt, cum ſubſtantia ipſius adſumitur, non tantum in ſanis praeſervationis loco, ſed etiam in aegris curationis ſcopo, proficua: in ſtatu vero ſanitatis auxilium nobis ineffabile, in ſua ſubſtantia ſumptum, praeſtat: alvum obedientem reddit eis, qui eam habent adſtrictam; anhelitum gratum et jucundum dat; viſcera interiora calefacit, et cor roborat; bonum ſanguinem et hilares ſpiritus impertit; cerebri obſtructiones adimit; ſenſus omnes, tam internos quam externos, alacres efficit; humiditates abſumit; maligni aëris contagio reſiſtit; corpus humanum ab omni corruptione tutum reddit, ſanitatique conſervandae multum inſervit; inflammationes ſedat; febrium aeſtum compeſcit:

in

in vehementiſſima ſuffocatione matricis, menſtruis ſuperfluis, ſanguinis ſputo, paralyſi, ſcorbuto, peſte, lue venerea, lepra, gonorrhoea, ſanguine concreto, remedium efficax eſt. Si illud ad ventriculum roborandum detur, mane maſticetur ad pondus unius ſcrupuli aut pluris.

In praxi valde peritus et cl. *Hoffmannus*, in ſubſtantia, Rhabarbaro utebatur a ſcrupulo uno ad ſemidrachmam, et drachmam: praeterea plus purgat in ſubſtantia quam quovis alio modo; aequam enim cujuſque medicamenti portionem validius longe purgare per ſe totam deglutitam, quam ejus ſolum infuſum vel decoctum, certa res eſt; cum nunquam tota purgatrix vis in liquorem transfundatur. *Zacutus Luſitanus* * Rhabarbarum in ſubſtantia ſemper exhibet, quando roborare et expurgare opus eſt. Ad morbos diuturnos eradicandos, et obſtructiones aperiendas, in ſubſtantia Rhabarbarum adhiberi jubet: praeterquam quod alvum parce moveat, mirum in modum viſcera roborat, praeſertim ſi jejuno ſtomacho aſſumatur. Vel Rhabarbarum in ſubtiliſſimum convertitur pulverem, et hoc modo a ſcrupulo

* In Pharmacop. art. 3. cap. 1.

palo uno ad duos datur: haec autem praeparatio, bilioſos et pituitoſos humores educit, atque aquâ inter cutem laborantibus mirifice confert, ad vermes expellendos etiam efficaciſſimum et valde idoneum remedium eſt; nam non ſolum vermes maxime enecat, ſed vermium etiam fomitem verum ejicit. Non ſemper in pulveris forma exhibetur Rhabarba um, cum ob amaritiem non ſuavis admodum ſaporis eſſe medicamentum videatur, et pueris ac delicatulis nauſeam facile pariat: ut ergo ſapor ejus cuivis palato, et praecipue infantium, arridere queat, ſub forma conditi vel marmaladae exhiberi poteſt *; cujus autem doſis paulo major eſt crudo.

In decocto vel infuſo, illud datum efficax eſt, ubi purgandi magis animus inducit. Doſis ejus in infuſo ab una eſt, ad duas drachmas †: obſervandum eſt autem, Rhabarbari ſubſtantiam, longè valentius ciere alvum quam infuſum, decoctum, vel etiam ipſum extractum, licet duplicato pondere exhibitum. Frequentius utuntur medici infuſione

* Joh. Schrd. in pharmacop. med. chym. lib. 4. cap. 3. p. 433.

† Jeoffroy, tom. ii p. 129.

infuſione quam decoctione ſi purgare velint, quia aliquid inter coquendum de virtute ejus cathartica in auras ſemper abit: praeterea omnis ejus vis coctione non ſatis extrahi poteſt *. *Petrus Morellus*, plus emolumenti ex catharticis infuſis, quam ex decoctis, eſſe ſperandum ſcribit; et hinc Rhabarbarum in liquore, morbo curando accommodato, infundit; quando virtus ſolutiva neceſſaria eſt, et poſtea ſubſtantia rejecta, infuſum praebet. Sic plurimum praeſtat Rhabarbarum in virgineo morbo, ſi in aqua aliqua ſimplici, vel deſtillata infundatur.

Licet Rhabarbarum vero per ſe ſit caſtigatiſſimum, adeoque medicamentum excellens; cum membra cuncta roboret, et per illud, alia quoque medicamenta refraenentur; ejus tamen in purgando actionem cinamomum, ſemen aniſi, † ſcammonium, &c. corrigunt et accelerant.

Item et aqua endiviae, cichorii, ſerum lactis caprini, ſecundum quoſdam, Rhabarbari

* Method praeſcrib. formul. remed. lib. 1. § 1. cap. 3.

† Pomet's Hiſt. of Drugs, book ii. p. 30.

barbari calorem temperant, horumque additione Rhabarbari vires mirifice augentur.

Quod autem ad ejus dosin attinet, nihil certe stabiliri potest. Exhibetur omni tamen tempore, omnique aetate, adeo ut etiam pueris aetate tenellis, et praegnantibus, sine discrimine, teste *Mesuè*, * detur.

Multae aliae sunt Rhabarbari praeparationes, quales sunt pilulae, boli, tincturae, marmaladae, confectiones, electuaria, &c. plurimaque medicamenta, quorum basis praecipua est Rhabarbarum; illa vero omnia, utpote propositum nostrum longe transgredientia, hic enumerare non vacat.

Non itaque satis mirandum est, auctores plurimos Rhabarbarum, in febrium, phrenitidis, hydropis et aliorum morborum curatione, propter ejus caliditatem, rejeciſſe; alia enim medicamenta, in ejusdem affectibus adhibita, calida etiam sunt, nec tamen propterea sunt rejicienda, si corrigentur, et methodice applicentur: adeoque, si quae noxa veniat metuenda, et in biliosis id suspectum

* Lib. de Simp. cap. 5.

ſpectum ſit, huic malo occurri poteſt ejus infuſione in aquis roſarum, endiviae, aliiſque refrigerantibus; Rhabarbarum autem ſic correctum tuto in febribus inflammatoriis, phrenitide, ſanguinis ſputo, dolore ventriculi inflammatorio, hydrope, dyſenteria, hepatis et renum intemperie calida, menſibus ſuperfluis, &c. adhiberi poteſt.

EXIMIUM etiam cholagogum habetur, ita ut * anima et vita hepatis vocetur: non ſolum autem bilem flavam et aduſtam, ſed alios etiam quoſcunque humores vitioſos, imprimis vero pituitoſos, viſcoſoſque in ventriculo primisque viis ſtabulantes, benigne per alvum expurgat.

† CADIT igitur *Zacuti Luſitani* ſententia, qui dicit, Rhabarbarum elective bilem attrahere: praeter illum, plurimi alii etiam hanc ſententiam rationibus comprobare conantur, ſed nil proficiunt. Tota autem haecce opinio ex eo fluere videtur, quod, poſt aſſumptum Rhabarbarum, liquida per alvum excreta, cum interdum colores a pharmaco mutuentur; viri illi falſo credide-rint, bilioſos humores, prius exiſtentes, prae

* PET. MORELL. ſyſtem. Mat. Med. tit. de Rhab. p. 383.

† In Pharmacop. art. cap. 5.

aliis ab eo educi: nihil tamen uſitatius eſt quam a Rhabarbaro, urinas, alvique excrementa flavedine tingi. Porro, diverſa corporis conſtitutio, ac humorum craſis, diverſas excrementorum προφασεις producit.

Ergo Rhabarbarum non tantum bilem, ſed et plures alios humores evacuandi vim habet; unde non amplius dubitandi locus eſt, de ejus facultate purgatrice: vim ſuam adſtrictoriam etiam exercere Rhabarbarum in omnibus morbis diſſolutis, ut in ſputo cruento, ſanguinis fluore quolibet, lienteria, diarrhoea et dyſenteria, jamjam ſatis probatum fuit.

Egregia ergo eſt Rhabarbari vis purgandi et roborandi; et annotante *Franciſco Oſwaldo Grembſio* *, praeter purgantem facultatem, anodynum quid in ſe habet, unde major in eo ſecuritas eſt, quam in aliis purgantibus, quae aliquando plus noxae inferunt quam utilitatis. Et, auctore † *Fernelio*, eximia apparet virtus ejus refrigerativa. Nec tacendum eſt de virtute ejus qua ob particulas

* Lib. 2. cap. 1. num. 33.

† Method. Med. lib. 4. cap. 1.

particulas ſuas ſulphureo-ſalinas admodum vigentes, in urinis, et ſudoribus excitandis, praeſtans videtur; nephriticis maxime convenit, urinaſque ducit flavo colore tinctas *Johannes Paulo Pernumia*, hiſtoriam narrat matronae nobiliſſimae, cui febri cum hepatis obſtructione laboranti, Rhabarbari decoctum praeſcripſit, quod nullo modo alvum laxam reddidit, ſed largiſſimam ſudoris profuſionem, et colore odoreque Rhabarbarum referentem, excitavit.

HACTENUS de Rhabarbari qualitatibus fuſi egimus; nunc praeſtantiſſimum ejus uſum, in multis morbis quibus humanum corpus obnoxium eſt, videamus.

UT erueret hominem Deus ab aerumnis et aegritudinibus, quibus quotidie laceſſitur, terram hanc, tanquam paradiſum inferiorem, ceu hortum locupletiſſimum, ſtirpibus innumeris ditavit, quarum amoeno halitu reficitur, colore vario recreatur, in ſanitate nutritur, in morbo juvatur, et a morte liberatur.

IN illo foecundiſſimo ſolo naſcitur quoque Rhabarbarum, cujus virtutes, in hominum morbis curandis, nunquam ſatis extolli

tolli poſſunt. Exploratiſſima namque ſenſuum fide manifeſtum eſt, Rhabarbarum, ex toto purgantium medicamentorum genere ad ſalutis tutelam comparato, auxilio maxime praeſentaneo eſſe, viribus et nobilitate praeſtans, ut ejus generis praeſidiorum primas tenere credatur. Qualitate ſibi propria, noxia e corpore evacuat, membra evacuata confirmat. Vacuat irritando, roborat adſtringendo; quod nullum medicamentum aliud nobis promittere poteſt.

AFFECTUS ergo corporis humani praecipui, cum interni, tum externi, in quibus Rhabarbari virtutes deprehenduntur admodum efficaces, multiplices ſunt: de quarum cauſis, ſignis, tum diagnoſticis tum prognoſticis, ut et curationis, hic mihi agendi campus eſſet ampliſſimus; verum cum extra aleas ſic vagari mihi non liceat, levi, quod aiunt, brachio, obiterque tantum, attingere verius quam fuſe tractare ſtatui, ex optimis fide dignis et auctoribus valde expertis.

IN delirio et phrenitide, *Felix Platerus*, praemiſſis clyſteribus lenientibus et medicamentis

* Prax. tom. i. lib. i. cap. 3.

mentis praeparantibus, Rhabarbarum in aqua roſarum infuſum praeſcribit: non enim negligenda ſunt medicamenta leniter purgantia, inter quae palmam praeripit Rhabarbarum, quod ſcil. feliciter evacuat, fluentesque ſuccos ad infernas partes revellit, nec inflammationem, nec febrem auget, imo utraſque mitigat et curat. * *Daniel Mylius* etiam varias tincturas et in hoc morbo decoctiones Rhabarbarum ſuſcipientes in medium, quae effectus minime vulgares praeſtant, adhibet.

Si febris lenta, orta ab obſtructionibus, adſit, qualis in pueris ſaepiſſime contingit, frequens purgatio ex Rhabarbaro morbum auferre ſolet. Nam Rhabarbarum, in hac febre, non ſolum ſolida laxa emendat, et ad contractiones fortiores ſtimulat, et ſanguinis motum; ſed quoque humores viſcidos, lentos et inertes, promovet.

Mesenterii viarum obſtructarum reſerationem, lenemque evacuationem, et alvi laxationem in praegnante foemina, melancholia cum convulſionibus epilepticis laborante, Rhabarbaro perficit *Gregorius Horſtius*,

* In Pharm. Pract. cap. i. p. 13.

ſtius, * et hoc vel aliquid aliud lene medicamentum neceſſario adhiberi jubet. Et praecipue in foeminis, cum earum natura fortiora purgantia non facile ferat.

In pluribus oculorum morbis, prodeſſe Rhabarbarum, ab omnibus conceditur: in viſus laeſione, maximeque in ejus debilitate, varia praeſcribit medicamenta *Felix Platerus* †; inter quae autem majoris momenti ſunt quae Rhabarbarum recipiunt.

In curandis infantum aphthis frequenter uſurpatur parum cichorii cum Rhabarbaro. *Zacutus Luſitanus* ‡ in pleuritide Rhabarbarum etiam commendat.

Non in pleuritide tantum, ſed in peripneumonia, angina, inſania, furore, renum, veſicae, partium omnium internarum inflammationibus, et praeſertim eryſipelaceis affectionibus, tam externis quam internis, conferre Rhabarbarum narrat *Rembertus Dodonaeus* ||.

In febri vermiculoſa, pulvere Rhabarbari ejuſdem extracto, et ſyrupe de cichorio cum

* Lib. ii. obſ. 17.

† Lib. 1. cap. 7.

‡ Medicor. Princip. hiſtor. quaeſt. 24.

|| Stirp. Hiſt. lib. ii. cap. 33.

cum Rhabarbaro, nihil praeſtantius inveniri poteſt, *Lazaro Riverio* * teſte.

Daniel Sennertus † Rhabarbari tincturam, addito cinnamomi quantum ſufficit, cum aqua roſarum extrahit, extractamque ad dimidiam portionem lentiſſimo igne coquit, et adhibita ſacchari quan. ſ. ſyrupum parat, cujus cochlear unum atque alterum etiam infantibus exhibet. Nam non ſolum peſtibus antevenit, ſed et lumbricos necat atque exturbat.

Postquam vero experientia conſtat, Rhabarbarum, non bilioſos tantum, ſed pituitoſos etiam et ſeroſos evacuare humores, ſimulque viſcera interiora roborare ac firmare, hydropis remedium erit feliciſſimum; adeoque uſum ejus comprobare multi medici clariſſimi videntur.

Hydropis curationem aggreſſus eſt *Paulus Ægineta* ‡ pilulis ſuis, inter quos primum tenet locum Rhabarbarum.

In aſcitis curatione, Rhabarbarum quatenus medicamentum optimum praeſcribit *Aben-Sina.* ‖

Ad

* Cent i. obſ. 5.
† Lib. 4. de Feb. cap. 7.
‡ Lib. iii. cap. 48.
‖ Lib. iii. de Simp. cap. 13.

Ad expurgandam materiam ſcurbuticam, Rhabarbarum fortioribus purgantibus praeſtat, quae quandoque exitioſa deveniunt; adeo ut nonnulli, vehementiorum purgantium uſu, in praeſentiſſimum diſcrimen et vitae periculum conjecti ſint. Vitari debent etiam medicamenta vehementer purgantia in cachexia, ne, per ſe imbecilles, totius corporis vires penitus proſternant, et ea potiſſimum praeſidia eligere, quae peccantem humorem ſine moleſtia evacuent, ac viſcerum robur proſtratum inſtaurent, inter quae primas tenet Rhabarbarum, quod tam per alvum quam per urinam et ſudorem benigne educit.

Jacobus Theodorus Tabernemontanus * dentes etiam, praeter alias utilitates, ab omni putredine et nigredine conſervat, gingivas ſolidas reddit, anhelitum commendat, adeoque remedium celebre eſt, et multis hiſce de cauſis maxime familiare eſſe debet.

Variis Rhabarbari qualitatibus, hiſtoria, et utendi modis, copioſe jam ſatis tractatis, variis quoque ſententiis de nomine ejus natalique ſolo ſpectatis; diſſertationem hanc ad finem tandem perducemus, idque *Galeni* verbis: *Nullum eſt remedium generoſum quod non prodeſſe ſimul ac nocere poteſt.*

* In herbaria ſua tract. ſect. 13. cap. 6.

FINIS.

Med Hist
WY
E23
1754
K.1